

cum saecularibus, itiones crebras ad amicos & mansiones diutinas, certam Religiosae puritatis perniciem planissimè vetuerunt, caelestium rerum meditationem, & corporis afflictiones desuetudine omittas ad reliquam Regulae observantiam addiderunt. Diceret nullum hoc saeculo specimen aliud reformationis sanctius vel religiosius excogitatum. At quam diuturna stetit haec pulchra species reformationis: Semelstris ut maximum, sensimque observantia est ad consuetudinem.

XX. Tertiò si de reformatione alicujus Ordinis agatur, ea non simul ad omnes sed pedetentim introducendo. Neque enim facile Religiosi alicujus Ordinis omnes & simul reformantur, aut à mitigata disciplina, solitaque vivendi norma abducuntur: sed pedetentim ab ea monitionibus & suasionibus suaviter abducendi sunt.

Uti enim advertit citatus auctor, "quia potissimum in animo consistit, sique liber & voluntarius ad reformationem adferendus est, neque omnibus tanquam caeleste quoddam beneficium inest, aut contrario affectu obstitente inesse potest, fit ut universus aliquis Ordo ex tot hominibus sensu affectuque diversis compositus, simul statim restitui non possit, singulorum animis non ferentibus hanc morum recoctionem & veluti reformationem.

XXI. Hinc videmus, reformationes Ordinum, passim ab uno Monasterio inchoatas, sensim ac pedetentim ad plura Monasteria propagatas, imò & unus Monasterii reformationem subinde non ab omnibus, sed à quibusdam dumtaxat, ac praesertim junioribus, laxioris disciplinae necdum affuetis, primò fuisse susceptam: ipsosque Abbates aliosve Superiores etiam ipsam laxiorem disciplinam in Senioribus dissimulasse & tolerasse.

XXII. Ulterius ut firmior esset Monasteriorum reformatio, jam pridem opportunum visum fuit, ut Monasteria eodem spiritu animata, & sub eadem severiori disciplina militare desiderantia, se in unam Congregationem redigant; ut ita communia inter Capitula Conventusque, celebrantia communi operâ & consilio reformationem, ipsamque puriorem disciplinam fovere & integram servare possent.

XXIII. Hinc ex reformatione Congregationem Cisterciensem Bursfeldensem, & Windesfeldensem originem habuisse capite 2. notavimus; atque nostrâ penè ætate ortum habuit unio sive Congregatio quatuor Abbatiarum sub nomine & patrocinio Beatae Mariae; scilicet S. Dionysii juxta Montes in Hannonia. S. Adriani Gerardimonte, Affligemensis juxta Alostum, & S. Giffeni.

XXIV. Anno enim 25. hujus saeculi in Monasteriis S. Dionysii & S. Adriani suscepta fuit reformatio, quæ paulò post ad Monasterium Affligemense transiit, quando Cornelius Janfenius S. T. Doctor & Sacrarum Litterarum Professor Regius in hac Lovanensi Academia, ac postmodum Irensi Episcopus piam illam ac nunquam satis laudatam orationem de interioris hominis reformatione ibidem pronuntiavit.

Hæc verò tria reformata Monasteria ut se in suscepta reformatione firmarent, anno 1628. univerunt se, & in Congregationem redegerunt; cui se anno 1643. Abbas S. Giffeni cum suo Monasterio adjunxit.

XXV. Quod verò hæc Congregatio ad stabilendam reformationem unice facta fuerit; solamque stabilitatem reformationis in hac unione ob oculos habuerint ipsius Congregationis Auctores ex conditionibus & articulis ipsius unionis fat manifestum est.

Acta unionis sic incipit: "Ad stabilendam reformationem introductam seu inchoatam in Monasteriis SS. Petri & Pauli Affligemensis, S. Dionysii in Borgueroia, & S. Adriani Gerardimonte Ordinis S. Benedicti, Prælati eorumdem sequentes articulos conceperunt, & exactè in perpetuum observare promiserunt.

Deinde articulo primo statuitur: "Singulis annis Capitulum celebrabitur, in quo convenient præfati Prælati nec non Deputati singulorum Conventuum; ita tamen quod soli Prælati sint habituri vocem decisivam, alii tantum consultivam.

Quid verò in hisce Capitulis præcipuè tractandum sit, sequenti articulo declaratur: "Tractabitur autem & ordinabitur in eisdem Capitulis de iis quæ pertinebunt ad felicem statum præfatorum Monasteriorum, & exactam observantiam dictæ reformationis juxta Regulam S. Patris Benedicti & constitutiones seu declarationes super ea editas, & cum regula impressas Tulli apud Simonem Belgrand anno 1625. quatenus nimirum concernunt ritus, mores, observantiaque Monasticas, & exceptis capitibus & articulis Constitutionum seu declarationum, qui tangunt jurisdictionem, regimen, exemptiones, & alia ejusmodi textu Regulæ non specificè determinata.

Articulo V. hæc habentur: "Visitatores in prædictis Capitulis à Prælati deputandi singulis saltem annis aut saepius, si ita visum fuerit, prædicta Monasteria visitabunt, & corrigenda absque mora secundum Regulam & præfatas Constitutiones seu declarationes supra receptas debite corrigent.

Articulus decimus habet: "Nihil unquam fiet aut statuetur quod directe aut indirectè vergat in detrimentum reformationis, pro cujus observatione omnes strenuè semper laborare tenebuntur.

Quæ omnia evincunt, unicum scopum institutæ hujus Congregationis fuisse, per eam firmius susceptam reformationem stabilire, & conservare atque promovere.

Ut verò ostendant, se nolle per hanc unionem subterfugere correctionem & vigilantiam Ordinariorum, articulo 2. hæc expressam adjiciunt clausulam: "Per hæc omnia nihil intenditur, neque unquam quovis modo aut pretextu, quidquam attendabitur, vel contra jus Principis, vel contra jurisdictionem, sive auctoritatem Ordinariorum, neque etiam Archiepiscopi Mechliniensis, tamquam Prælati Monasterii Affligemensis. Sed omnia eorum jura & auctoritates [non modo Abbates confirmandi aut benedicendi, sed etiam Monasteria visitandi, defectus corrigendi, & quæcumque alia ad ipsorum jurisdictionem & officium pertinentia faciendi] integra & illibata manebunt, qualia erant ante reformationem: hoc unico excepto, pro quo nihil in eisdem reformationis detrimentum dicti Ordinarium neque Archiepiscopus ut Prælati Affligemensis agi vel pati poterunt.

XXVI. Denique, quia admodum difficile, imò penè impossibile est, ut in una Congregatione ac Conventu laxioris ac strictioris observantiae Monachi concorditer vivant: aut reformatio stabilis maneat in Monasteriis, si illa à Superioribus non reformatis dependeat. Idcirco Congregationes Monasteriorum reformatorum se paulatim à dependentia ac subjectione non reformatorum eximere studerunt, atque Superiores suæ Congregationis acciperet, quemadmodum & in recentioribus etiam nonnullis, ut Capucinis, Discalceatis, aliisque plurimis visum est; qui propterea tandem in Ordinem planè non-reformato seu mitigato distinctum transferunt, & à Sede Apostolica per speciales Bullas ab omni aliorum Superiorum non-reformatorum subjectione & dependentia subtrahunt.

XXVII. Sed sibi difficile est integrum Ordinem collapsum simul reformare; atque ab inveterata vivendi norma ad strictiorem reducere; ita quoque summæ difficultatis est, congregationem aut Ordinem jam publicatum in primævo reformationis spiritu conservare. Cum enim Ordo aut Congregatio esset conventibus multiplicata, natum est fieri ut sensim nonnulli irrepant, qui spiritu reformationis destituuntur; quique laxiorem vivendi disciplinam strictiori præferant; eamque sensim in alios etiam propagent juxta illud Apostoli: "Modicum fermentum totam massam corrumpit. Quod maximè verendum in illis Ordinibus & Congregationibus, quorum Monasteria ita inter se uniantur, sibi que coniunguntur, ut Religiosi passim de uno ad aliud migrent; tunc enim contingit, ut si aliquot Monasteria reformationis spiritu destituuntur, etiam alia facile per communicationem corrumpantur.

TITULUS XXXIII.

De Quasi Regularibus.

CAPVT I. De patribus Oratorii.

- 1. Sanctus Philippus Neri sermone ad populum instituens Congregationem Oratorii instituit.
2. Postulatur a Florentinis ut Ecclesia eorum Curam suscipiat.
3. Philippus postulat annuus Congregationis fundamenta prout.
4. Quam vivendi normam tenuerint primi Congregationis Patres.
5. Congregatio hac specialem sibi Ecclesiam assignare petiit, & suam Congregationem à Sede Apostolica confirmari.
6. Erigitur Congregatio auctoritate Sedis Apostolicæ, & Ecclesia Parochialis eidem univ.
7. Eidem conceditur facultas condendi statuta.
8. Quando prima Congregatio Oratorii plenè formata.
9. Hæc Congregatio primitivè specialia statuta non habuit.
10. Sub initium hujus saeculi statuta collecta sunt, & à Paulo V. confirmata.
11. Institutum hoc in Belgium aliisque Provincias propagatum.
12. In Gallia alia Congregatio Oratorii instituta, & à Paulo V. probata.
13. Petrus Berullus hujus Congregationis Generalis institutus, & quæ ejus auctoritas.
14. Huic impariter Pontifex auctoritatem Congregationem ubique terrarum instituenti, & statuta condendi, vel mutandi.
15. Hæc Congregatio à Neriana independens in varias Provincias propagata.
16. Curâ Jacobi Boonen Archiepiscopi Mechliniensis hujus Congregationis fundamenta hic jacta sunt.
17. Accessit in Gallia quæ recentè institutas domos visitaret, & firmaret.
18. Epistola Archiepiscopi ad Superiores domorum, ut Visitatori obediant.
19. Visitator hic in Gallia missus domos Oratorii Provincia Mechliniensis in unam Congregationem univ.
20. Hæc Congregatio amplectitur institutum Congregationis Gallicanæ, est tamen ab ea independens.
21. Nulla alia Congregatio hujus instituti est à Gallicana independens.
22. Domus instituti Neriani nullam inter se habent Communione, nec non Congregationem generalem constituunt.
23. Congregatio Oratorii nulla vota Religiosis, aut professionem religionis in suis alumnis agnoscat.
24. Præcipuus scopus Congregationis est, Alumnos suos functionibus Sacerdotibus applicare: & quid Neriana hic præstet.
25. Congregatio Gallicana suis vult ad omnia munia Sacerdotalia obeunda esse paratos.
26. Vult ut hæc munia suscipiantur, & exerceantur ad nutum & arbitrium Episcoporum.
27. Describitur status Congregationis Gallicanæ & Belgicæ.
28. Regimen Congregationis quoad personas & res ipsas spectat ad Præpositos, & primario residet in Congregatione.
29. Quando, & qua forma inducenda Congregatio.
30. A Congregatione eligitur Præpositus, & duo assistentes: Quæ horum auctoritas.
31. Præpositus est Superiores domorum constituere & mutare.
32. Ipsus est novos ad Congregationem admittere.
33. Præpositus est domos visitare, novas erigere non potest.
34. Cujus sit statuta condere.
35. Singularum domorum sunt immediatè Superiores, si que triennales.
36. Quod horum officium.
37. Quando domus sibi mutuo in temporalibus succurrere debeant.
38. Quid Superiores præcipuè inculare debeant.
39. Ad Superiores spectat inferiorum ministrorum deputatio.
40. Tempus institutionis supplet vices novitiatum.
41. Institutionis tempore elapsi probati Congregationi incorporantur: & quis hujus incorporationis effectus.
42. De Fratrum laicorum incorporatione.
43. Incorporati pro libitu Congregatione recedere possunt, sed non facile in viciu demittit.
44. Incorporati retinent rerum suarum dominium, & liberam de iis disponendi facultatem.
45. An divites de proveniendis communibus domus vivere possint.
46. Disciplina vivendi ostendit, institutum Oratorii merito dici quasi Regulare.

San. Espen. Jus Eccl. P. 1.

1. Sanctus Philippus Neri Presbyter Romanus annis aliquot in Ecclesia Sancti Hieronymi crebros ad populum sermones, & exhortationes, inagno cum fructu & populi concursu habuit; atque nonnullos discipulos, qui in hoc opere assistebant, ad seivit.

II. Deinde circa annum sexagesimum quartum præcedentis saeculi cives Florentini ejus famâ excitati, illum conveniunt postulantes, ut Ecclesiam suam in Urbe Romana, quæ S. Joannis Baptistæ nomine celebris habetur, curam susciperet.

III. Philippus post maturam rei discussionem, & cum Deo factam consultationem, Florentinorum precibus annuit, sibi que id placere dicit; cupere tamen aliquot è suis discipulis Sacerdotio primùm initiari; seque præterea è templo S. Hieronymi haud quaquam recessurum eidem significat. Accipiunt Florentini conditionem, domum ad habitandum attribuunt; stipendium unde vivant offerant. Tres igitur è suis Philippus Sacris initiari facit; inter quos unus erat Cæsar Baronius ob Annalium Ecclesiasticorum editionem toti orbi notissimus.

Cum his tribus ad Sacerdotium promotis, quibus alii duo se junxerunt, Philippus se ad domum à Florentinis assignatam contulit, communem victum instituit, atque Congregationem instituere aggressus est. Hæc ex vita ejusdem Sancti scripta per Antonium Gallonium, & descripta per Papenbrochium ad 26. Junii.

IV. Deinde cap. 8. num. 89. vitam occupationesque dictorum Sacerdotum ita profertur: "Qui Patres unanimes in Domino ambulantes, magno cum animorum fructu in Christi vinea excolenda apud Florentinos pro viribus laborare cœperunt: accedentium confessiones audire: Eucharistia Sacramentum, qui per Sacerdotium poterant, ministrare: à prandio ad Ecclesiam S. Hieronymi se recipere, ubi de more sermones de rebus piis ad multitudinem facerent. Dominicis diebus, præter Oratorii sermones quotidianos, modò Baronius, modò Bordinus in æde sacra Florentinorum, populo qui aderat cupidissimè audiente, è suggestu concionabatur. Quibus rebus brevi factum est, ut tam Sacerdotum numerus, quam consultantium ad eum locum multitudo mirifice augetur.

Deinde num. 90. ait: "Hoc quidem vivendi genere plures annos usi sunt Patres, eadem domo viventes, seque suaque Divino obsequio & animarum lucro tradentes. Erat omnium marisupium unum, communis mensa, eaque sobria ac frugalis: oratio & meditatio plurima: Sacerdotibus, qui illis initiis quinque erant, rem Divinam facientibus, cæteri aut quotidie, aut alternis diebus caelesti pane reficiebantur. Id vitæ institutum ita multis probatum est, & plerique ingenis doctri, naque præstantes, cum Sacerdotes tum laici, ultrò sese in Patrum contubernium contulerint: non enim omnes Religionis vinculis se astringere omnino audent. Hæc igitur fuere nostris hominibus Congregationis initia.

V. Porro cum maximus hujus Congregationis fructus continuò magis se manifestaret, nec tamen hætenus esset ei firmitas, nullaque propria Ecclesia, tandem circa aëna septuagesimum quintum à Gregorio XIII. petierunt hujus Congregationis Sacerdotes, ut Ecclesiam Beatae Mariae à Valli Cella huic Congregationi assignare, ac in perpetuum unire vellet; atque in ea Congregationem Presbyterorum & Clericorum saecularium De Oratorio nuncupandam erigere & instituere.

VI. Huic petitioni annuens Gregorius, per Bullam quæ incipit, Copiosus 1011. in Bull. R. in prædicta Ecclesia Congregationem Presbyterorum & Clericorum saecularium De Oratorio nuncupandam auctoritate Apostolicâ perpetuò erexit & instituit: illique Congregationi sic erectæ & institutæ



ſtituta præſtatam Eccleſiam cum onere curæ animarum Paroehianorum, aliſque omnibus & ſingulis oneribus & honoribus ac annexis, nec non omnibus bonis & proventibus auctoritate Apoſtolicâ conceſſit & aſſignavit.

VII. Inſuper eidem Congregationi illiusque Reſtori ac Presbyteris & Clericis pro tempore exiſtentibus liberam conceſſit facultatem, ut pro ſalubri ſtatu & directione ejuſdem Congregationis illiusque perſonarum quæcunque honeſta & rationabilia Statuta & Ordinationes de novo edere, aut edita limitare aut mutare valeant; quæ à Sede Apoſt. approbata ab omnibus inviolabiliter obſervari deberent.

VIII. Huic Congregationi ſic inſtituta & probata non ſtatim ſe junxit Philippus. Scribit enim Antonius Gallonius c. 10. n. 126. "Quamquam Philippus omnium quæ à ſuis alumnis apud Vallicellam gerebantur, auctor eſſet, & dux, non tamen ita ſubito habitationem templi S. Hieronymi, ut deſereret, indici potuit; id enim multis annis poſt, Petri Donati Cæſii Cardinalis operâ impetratum eſt: anno ſcilicet 1583. Atque tunc primum Congregationis Corpus, arctiore vinculo colligatum, totum integrum capite, cum membris conjuncto conſpici cepit.

IX. Statuta aliqua vivente Philippo Congregationi præſcripta fuiſſe non legitur. Etenim Philippus omnium conſilia pro cuiusque ingenio, ſolitus paterno moderari, affectu, ſatis habuit ad pietatem ſimul inflammatos in ipſa rerum humanarum deſpicientia amore ferventiores, videre ſuos & quæ diuturna experientia ad probitatem, allequendam, Deumque promerendum eis placere noverat, & indes prodeſſe, tanquam à Domini ſpiritu probare & confirmare.

X. Hæc ille, qui circa annum 12. huius ſæculi, illa quæ ipſe Philippus hac ratione condenda curavit, vel ab ejus inſtitutione inter Congregationis huius homines conſuetudine recepta, ac deinceps perpetuò ſervata erant, in unum collegit, atque in ſeptendecim capita diſtinxit: quæ Paulus V. poſt cognitionem aliquam auctoritate Apoſtolicâ etiam approbavit, illiſque omnibus & ſingulis perpetuæ & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjevit, anno 1612. per Bullam quæ incipit: *Chriſti Fidelium* 92. in Bull. R.

Hæc ſunt Congregationis *De Oratorio* vulgò *Neriana* Statuta, quæ prædictæ Bullæ Paulinæ inferuntur; & referuntur à Myræo inter Regulas & Conſtitutiones Clericorū in congregatione viventium unâ cum præſatione Collectedoris, è qua præſatione ſuperiora verba accepta ſunt.

XI. Hæc Congregatio, quæ primum fundamentum Romæ in Eccleſia B. Mariæ à *Vallicella* accepit, longè latè que ſenſim ſuos palmites extendit & protulit, non tantum per Italiam, ſed in Belgium uſque.

Huius enim Congregationis *Oratoria*, id eſt, quæ Statuta normamque ejus vivendi tenent, atque illas Congregationis *Nerianæ* ſe proſitentur, hæc in Belgio enumerat Myræus

Aspricollenſe in Brabantia ab Alberto & Habella Belgarum Principibus fundatum ac dotatum; cum onere Parochialis Duacenſis in Gallo-Flandria ab Hermanno Otembergio Epifcopo Attrebatenſi fundatum anno 1626. Cervienſe in Hannonia cum onere Parochiali. Branienſe in Hannonia etiam cum onere Parochiali.

XII. Alia Congregatio ſub nomine *Oratorii JESU CHRISTI Domini noſtri* ſub initium huius ſæculi inſtituta, & à Paulo V. per Bullam quæ incipit *Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ* 91. in Bull. R. approbata eſt.

In hac Bulla ad poſtulationem Mariæ Reginæ Francorum & Henrici Pariſiorum Epifcopi, Pontifex erigit, & inſtituit unam congregationem ſub nomine *Oratorii JESU CHRISTI Domini noſtri*, in honorem, ait, *orationum* quas in diebus carnis ſuæ fudit; ut illi qui congregationem ipſam ingrediuntur, eundem Jeſum Chriſtum pro nobis in *oratione* poſitum & pernoctantem reverentur, atque etiâ inſtituti, ad quod vocati ſunt, moneantur, & præſertim ſemper hanc præcipuam omnibus communem & omnitempore congruentem officii eorum partem quæ in orationibus pro populo, ac in Dei laudibus celebrandis verſantur, habeant.

XIII. Ad hæc cum dicta Regina & Epifcopus à Pontifice petiſſent, ut Petro de Berulle Presbytero Pariſienſi (cujuſ ministerium felici progreſſui & directioni ipſius congregationis utile futurum conſidebant) cura erectionis & inſtitutionis committeretur, Pontifex illorum precibus hac in parte annuens, eundem Petrum in Præpoſitum generalem huius congregationis deputat & aſſumit.

XIV. Impatitur itidem Pontifex auctoritatè dicto Petro, ut hanc congregationem tam in civitate Pariſienſi quam in omnibus aliis civitatibus, oppidis, terris, & locis ad quæ à locorum Epifcopis vocatus fuerit, & non aliàs inſtituat.

Ipi unâ dans facultatè condendi nova Statuta pro felici directione & ſtatu congregationum opportuna; factaque, edita & condita quoties pro rerum ac temporum qualitate & viciffitudine, ſeu alias videbitur, corrigendi, immutandi, alterandi, aliæque omnia, & ſingula à ſimilium congregationum, nec non in quoracunque Ordinum approbatorum conſtitutoribus, aut aliis Superioribus etiâ generalibus, de jure & conſuetudine ſive ex privilegio aut alias quomodocunque fieri & exequi ſolita, faciendi & exequendi.

XV. Hæc congregatio Oratorii Jeſu Chriſti Domini Noſtri planè independentè à Romana, quæ à ſuo primo ſancto inſtitutore dicitur *Neriana*, mox non tantum per Galliam, ſed hoc etiam Belgium noſtrum propagata fuit. Domoſ ac familias à congregatione progenitas recenſet Miræus loco citato ſub titulo: *Congregatio JESU CHRISTI à Petro Berullo Cardinalè inſtituta*, cap. 3.

XVI. Ad Belgium quidem, rogante ac inſtante zelofiſſimo ac nominatiſſimo Mechlinienſium Archi-Præſule Jacobo Boonen miſſus fuit à Petro Berullo tunc S. R. E. Cardinalè, Pater Franciſcus Bourgoing cum uno alterove congregationis huius Patribus, qui ſub auctoritate prædicti Archi-Præſulis prima Lovanii anno 1626. Oratorii fundamenta poſuerunt; quæ poſtmodum Mechliniam anno 1629. deinde Bruxellas, aliæque loca vicina propagata ſunt.

XVII. Ut vero novellæ plantæ incrementum in aſu acciperent, atque adinſtar congregationis Gallicanæ dirigerentur, eodemque ſpiritu animatæ cohererent, dictus Mechlinienſium Archi-Præſul Superioribus Domoſum Lovaniensibus & Mechlinienſibus ſignificavit datis literis 21. Octobris 1631. quod præſato Patri Bourgoinge (qui à generali congregationis Gallicanæ Viſitator generalis conſtitutus fuerat) dederit facultatem & auctoritatem, eaſdem domoſ tam quoad ſpiritualia, quam temporalia, quoad perſonas & res, viſitandi; ac in viſitatione corrigendi, immutandi, ſtatuendi & ordinandi prout judicaverit; idque, quantum poterit, conformiter conſtitutionibus congregationis generalis in Gallia habitæ; quæ omnia latius continentur in dictis literis Archi-Epiſcopi Mechlinienſis, quas hic ex originali, quod aſſervatur in domo Lovaniensium ſubjiciam.

XVIII. "Jacobus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ, Archiepiſcopus Mechlinienſis, omnibus & ſingulis Presbyteris & clericis congregationis Oratorii D. N. JESU CHRISTI, Domoſum Lovaniensibus & Mechlinienſibus noſtra Diœceſis, Gratiam Benedictionem, & Pacem in CHRISTO JESU, qui eſt pax noſtra.

"Cum jam pridem plurimi in hac noſtra Belgicâ, & peculiariter in hac noſtra Diœceſi ad pium aliquod Sacerdotium in congregatione viventium inſtitutum adſpirare præſe ferrent, qui propriæ perfectioni Sacerdotali incumberent, fervorem antiquæ pietatis in clero renovare ac velut ignem, quem Dominus miſit in terras, accendere pro viribus ſtuderent; illud autem inſtitutum à ſe, mem. Eminentiſſimo cardinalè Petro de Berulle captum, & in Gallia Burgundia & aliis in locis longè lateque cum bono Chriſti odore jam propagatum, maxime noſtris deſideriis conveniens eſſe cerneremus; ut pote cujuſ ſit proprium functiones Ordinis Sacerdotali eſſentialiter convenientes & ſibi à Rev. miſ Hierarchis præſcriptas exerceere, eiſdemque Reverend. miſ illarum exercitio obedire & ad illorum nutum præſto eſſe, nec non & alios Sacerdotes in uſu ſcientiæ & in pietatis exercitiis inſtituere, ac que omnem pro modulo ſuo operam Paſtoribus aliſque

curam

curam Animarum habentibus impendere, & opem ferre, ad præſtatam Cardinale, velut ad fontem, unde Congregationis illius ſpiritus manavit, recurrendum eſſe, eum bona eorum, ad quos ſpectat, veniâ duximus. Qui quiſdem noſtris benigne votis annuens Rev. dum admodum Patrem Franciſcum Bourgoing unum è primis huius ſpiritualis ædificii vivis lapidibus, atque in multis aliàs probatum, cum uno aut altero ſuæ Congregationis in has partes, rei huius cauſâ, deſtinavit. A quo, ſub noſtra Auctoritate, prima, Lovanii, Oratorio Fundamentum poſita & poſtmodum Mechlinia, & aliis in locis collocata fuerunt, adeo ut felicioris & amplioris in dies progreſſus major ſpes aſſulgeat. Cum inſuper à Reverendiſſimo Patre generali dictæ Congregationis in Gallia factâ poteſtate tamquam primus ejuſdem Aſſiſtens & Viſitator Generalis ad univerſas domoſ, non ſine fructu & renovatione animarum, idem P. Bourgoing nuper miſſus fuerit, & poſtmodum habitæ ſint ejuſdem Congregationis generalia Comitæ, in quibus multa ad bonum illius regimen & ordinationem conſtituta fuerunt. Ut hæc novellæ plantæ in agro noſtro, divinâ irrigante gratiâ, incrementum, ad Chriſti Domini gloriâ, accipiant; & quatenus opportunum ſit, adinſtar ejuſdem Gallicanæ Congregationis, dirigantur, eodemque ſpiritu animatæ coherant, idem Reverendo Patri Superiori Domoſum Lovaniensibus & Mechlinienſibus noſtra Diœceſis, eaſdem tam quoad ſpiritualia, quam temporalia, quoad perſonas & res noſtra Auctoritate, viſitandi, & viſitatione corrigendi aut immutandi, quæ correctione, aut immutatione indigere judicaverit, nec non ſtatuendi & ordinandi, quantum fieri poterit, conformiter Conſtitutionibus dictæ Congregationis generalis in Gallia habitæ, aliæque monita & Statuta, pia & patriæ moribus covenientia dandi omnia à nobis poſtea videnda, ad probanda, & confirmanda facultatè concedimus; ac ſingulos & omnes dicti Oratorii in hac noſtra Diœceſi in Domino plurimum exhortamur, ut in ejus honorem, qui ſuit obedientium ſubmiſſione & devotione ſuſcipiant, & omnia in illa, ut ſuprà, ſtatuta & ordinata humiliter obſervent. Ita Deus & Pater Domini noſtri JESU CHRISTI benedicat vos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in CHRISTO JESU. Datum Lovanii noſtra Diœceſis ſub manu & Sigillo noſtris, Anno Domini milleſimo ſexcentiſimo trigeliſimo primo, die vigeliſimâ primâ Octobris Rev. P. Franciſcus Bourgoing, Jacobus Archiepiſcopus Mechlinienſis, De Mandato Ill. miſ & Rev. miſ D. ni Archiepiſcopi Tim. Huius Secret. 1631.

XIX. Poſt varias viſitationes, in quibus etiam pia valde ac utilia exercitia & ordinationes pro directione domoſum illarum præſcriptis; nec non poſt habitas multiplices deliberationes, tandem anno trigeliſimo quarto currentis ſæculi viſum fuit dicto Patri Bourgoinge, nec non Mechlinienſium Archi-Epiſcopo, & Antonio Triefi Gandenſium Antiftiti in cujuſ etiam Diœceſi nonnullæ Congregationis Oratorii Domoſ erectæ erant] particularem Congregationem ex omnibus ſeu familiis in Diœceſi Mechlinienſi & Gandavenſi, aut etiâ aliis Archi-Epiſcopo Mechlinienſi ſuffraganeis, jam inſtitutis aut poſthac inſtituendis erigere; prout dictus Bourgoingeus erexit, capitibus dictis Prelatis; eique Conſtitutiones decem capitibus comprehenſas præſcripſit & quibus & hodie hæc Congregatio utitur & regitur.

XX. Voluit quidem ut in omnibus, quantum fieri poſſet, eſſet hæc Congregatio conformis Congregationi Gallicanæ, ejuſdem ſpiritu animaretur, ſed eam tamen in regimine à Congregatione Gallicana independentè eſſe voluit Unde in dictis Conſtitutionibus habetur c. 4. "Domoſ Oratorii Domini JESU erectæ vel erigendæ in Provinciâ Mechlinienſi conſtituent ſimul unam Congregationem à nulla alia dependentem.

XXI. Et quidem hæc unica eſt Congregatio à Gallica progenita, ejuſque vivendi normam imitata, quæ ab ea ſit independentens.

Van Eſpen Jur. Eccl. P. II.

Sunt enim & aliæ Congregationes ejuſdem inſtituti, quæ à pluribus particularibus domibus ſive familiis unâ Congregationem conſtituunt; atque unum Præpoſitum Congregationis habent, qualis in Hannonia eſt Congregatio Monteniſis; ſed omnes hæc à Congregatione Gallicana dependent, atque Præpoſitum huius Congregationis pro ſuo generali agnoſcunt; à quo etiam Præpoſiti ſingularum Congregationum confirmationem accipere debent ſecus Præpoſitus Congregationis Provinciæ Mechlinienſis, ut infra dicitur.

XXII. Hæc dependentia & unio minor eſt inter Domoſ quæ normam vivendi Congregationis Romanæ ſive Nerianæ ſequuntur.

Hæc enim domoſ omnes ſeparatim & per ſe independentè planè à ſe mutuò per ſuos reſpectivè immediatos Superiores reguntur, ſine ulla ab alia dependentia aut mutua unione; ideoque nec ulla harum domoſum ſive familiarum nota communia aut generalia comitia; nulluſque generalis Præpoſitus aut ſuperior qui omnibus familiis intendat.

XXIII. Congregationi Oratorii tam Romanæ, quam Gallicanæ, atque ab his progenitis Congregationibus commune eſt, quod Congregationi adſcripti, nullo religionis voto, aut religioſâ profeſſione Congregationi obſtringantur; ſed in ſimplici ac primario ſtatu Sacerdotali ac Clericali vivunt; mo nec ulla ſimilia vota Congregatio admittit queat, ſed ipſa Congregatio in primario & puro ſtatu Sacerdotii, quale Chriſtus Dominus inſtituit, & in Eccleſia ſua relinquit, nihil ad ſeculo, vel detrahendo, perpetuò ſit permanſura, adeo ut quocumque loco & tempore & Congregationis conventu, nulla in ea profeſſio ſive vota admittantur; & caſu quo aliqui profeſſionem emittere vel admittere vellent, quamvis eſſent plures numero, ipſo tamen facto à corpore Congregationis ſeparati erunt, & bona que libet & cujuſcumque naturæ ac domoſ, cæteris qui in primario inſtituto ac pure Sacerdotali, licet pauciores numero remanſerint, relinquere tenebuntur." Ita Conſtitutiones Congregationis Belgicæ cap. 2. quæ iſdem pene verbis in ſtatutis Nerianis exprimuntur cap. 4.

XXIV. Presbyterorum verò hæc Congregatio poſſiſſimum inſtituta fuit, ut in communi viventes functionibus Sacerdotalibus ſuſtinerentur & cum populi majore ædificatione incumbere poſſent.

Nerianæ ſeu Romanæ Congregationis ſcopus ſive ſpiritus fuiſſe videtur, Parochialis alicujus Eccleſiæ curam agere, eamque dirigere; nequaquam verò omnibus indifferenter Sacerdotalibus applicari.

Hinc in Congregationis ſtatutis cap. 8. legitur: "Cum ſint multi in Eccleſia Dei, qui audiendis Monialium conſeſſionibus aut dant operam, aut dare optime poſſunt; propterea ne quis ab inſtituto Congregationis noſtræ proprio poſſit abduci, ſtatutum eſt, ne noſtrorum aliquis ſeſe obliget aut dedat conſeſſionibus audiendis, moribus reſormandis, rebuſque earum gerendis, Idem dicimus de Seminariis, Collegiis, Congregationibus. Societatis, aut aliis Univerſitatibus, rebuſque earum quomodolibet tractandis.

Hinc paſſim domoſ ſeu familie huius Neriani inſtituti uni Eccleſiæ Parochiali regendæ præſectæ ſunt; eamque jure Parochiali regunt; nullas præterea hierarchicas functiones obeuntes.

XXV. At Congregationis Gallicanæ, & Belgicæ ab ea progenitæ præcipuum inſtitutum eſt, ut illis adſcripti omnibus quibuſcumque functionibus Hierarchicis, ad quas ab Epifcopis locorum vocabantur, applicentur.

Unde in Conſtitutionibus Congregationis noſtræ Belgicæ ſive provinciæ Mechlinienſis unus è præcipuis finibus inſtituta Congregationis aſſignatur, ut omnia quæ ſunt Sacerdotum munia & functiones ex fonte gratiæ & ſpiritu Chriſti ſummi Sacerdotis & Sacerdotii inſtitutis peragat; hinc Congregatio gratiæ ſpiritus & inſtitutum Catholicum ſeu univerſale, non ad certas aliquas functiones limitatum, habet, Cap. 8.